

The Colliding Rocks.

Propter tantum beneficium ā laetō rēge magnīs mūneribus dōnātī Argonautae vēla iterum ventō dedērunt. Mox ad Cyaneās vēnērunt rūpēs, quae Symplegadēs vocantur. Multīs jam nautīs hae rūpēs exitiō fuerant. Nōn enim in certō locō fixae restābant, sed in marī natābant, Pontī introitum custōdientēs. Sī quis autem per mēdium spātium nāvigāre tentābat, celerī concursū nāvem confringēbant. Dē hōc periculō Iasōn ā Phīneō praemonitus columbam ē prōrā nāvis ēmīsīt. Quam praetervolantem Symplegadēs tantumnōn contudērunt. Tum priusquam rūpēs iterum convenīre possent, Argonautae, rēmīs vēlīsque properantēs, incolumēs transvectī sunt; neque rēmigandī labor intermissus est dōnec ad Colchōrum fīhēs pervēnērunt.